Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

que non patiebar in affrica. Nam reuera illas euersio
nes a perditis adolescentibus ibi non fieri manifestatum
est mihi. Sed subito inquiunt ne mercedem magistro reddant
conspirant multi adolescentes et transferunt se ad alium
desertores fidei et quibus pre pecunie caritate iustitia ui
lis est. Oderat et iam istos cor meum quamuis non perfecto odio.
Quod enim passurus ab eis eram magis oderam fortasse quam
quod cuilibet illicita faciebant. Certe tamen turpes sunt tales.
et fornicantur abs te amando uolatica ludibria temporum
et lucrum luteum. quod cum apprehenditur manum inquinat. et
amplectendo mundum fugientem contempnendo te ma
nentem et reuocantem et ignoscentem redeunti ad te me
retrici anime humane. Et nunc tales odi prauos et
distortos quamuis eos corrigendos diligam. ut pecu
nie doctrinam ipsam quam discunt preferant et ei te deum
ueritatem et ubertatem certi boni et pacem castissimam. Sed tunc
magis eos pati nolebam malos propter me quam fieri propter
te bonos uolebam. Itaque posteaquam missum est a mediolano
romam ad prefectum urbis ut illi ciuitati rethorice
magister prouideretur impertita etiam euectione publica.
ego ipse ambiui per eosdem ipsos manicheis uanitatibus
ebrios quibus ut carerem ibam. sed utrique nesciebamus. ut
dictione proposita me probatum prefectus tunc simmachus
mitteret. Et ueni mediolanum ad ambrosium episcopum in
optimis notum orbi terre pium cultorem
tuum. cuius tunc eloquia strennue ministra
bant adipem frumenti tui et leticiam olei et sobriam
uini ebrietatem populo tuo. Ad eum autem ducebar abs te
nesciens. ut per eum ad te sciens ducerer. Suscepit